

VALTHARIUS BERGER

AD VERGILIUM

VERGILIUS, PATER HESPERIAE

Mantua te genuit, sed postera tu genuisti
Saecula quae lumen suscepere tuum
Humanum, certe divino lumine natum:
Exemplar praestans moribus Hesperiae.

5

I

AUGURIA CHRISTIANA

Spes

Ignibus incensam Troiae delentibus aras
Ereptamque facem servaverat ille superstes,
Ut tenebras superans nova lumina funderet orbi.
Semen sic vitae vincens discrimina leti
Usque virens splendore novo claroque resurgit!

10

Amor et Pietas

In mediis patriae flammis, strage atque ruinis
Haud sibi consuluit soli: tergo genitorem
Sustinuit genitumque manu, profugus tamen ipse,
Aeneas sacrae speciem signans pietatis.

15

Fides

« *Da dextram misero et tecum me tolle per undas,
sedibus ut saltem placidis in morte quiescam* »¹

20

¹ *Aeneis* VI, 370.

His precibus Christum Petrarca poeta vocabat,
Oppressum ut curis vitae relevaret onustae
Donans aeternam pacem caelumque redempto.

Spes amor fides: Ecloga IV

Salve puer portans pacem vitamque beatam, 25
Qui cum matre redis nova terris regna daturus!
Hunc tanta vates extollit relligione
Versibus egregiis divina arcana revelans,
Ut non postgeniti dubitarent numine moti
Virginem et infantem ad Christum Mariamque referre. 30
Tanta fuit sacri vis verbi Vergiliana,
Ut vatem Christi praesagum sint venerati!
Dante ² poeta quidem campos penetrare paratus
Infernos his exorat comitem sibi verbis:
Tune es Vergilius, fons qui largissima fundis 35
Flumina dicendi? Vatum tu lumen honosque?
Tu mihi praeceptor solusque magister et auctor?
Tum Statium fecit laudes gratesque poetam
Reddere Vergilio: ³ Primus mihi lumine monstrans
Humanum Christum fecisti quomodo fecit, 40
Qui in tenebris noctis vadit portansque lucernam
Retro post tergum non se iuvat, at docet omnes
Post se qui veniunt, qua fert via vera salutis,
Cum versus dixisti illos puerum celebrantes:
« *Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo,* 45
iam reddit et virgo, redeunt saturnia regna,
iam nova progenies caelo demittitur alto » ⁴
Hi versus tanta perfusi relligione
Postgenitum Statium sic percussere poetam,
Ut dominum indueret Christum — quos commemorando 50
Dante poeta fidem missis ambagibus addit
Vergilium ingenio, quamvis haud conscius esset,
Vaticino Christum sic praecepisse futurum.
Quid refert puerum Romano consule natum?

² DANTE, *Inferno I*, 79.

³ DANTE, *Purgatorio XXII*, 66.

⁴ *Ecl. IV*, 5.

Vana superficies rerum est, sunt nomina vana!
Plus valet oraculum venturi tempus adumbrans
Fatidicum Christi quam quem signare videtur.
Spes amor atque fides magnam conflantur in unam
Virtutem quae portendit sub imagine Christum!

55

II
AMOR ET LABOR

60

« *Omnia vincit amor* »;⁵ « *Labor improbus omnia vicit* »⁶

Haec quoque dicta suis excerpta locisque soluta
Antiquo sensu maiora sonare videntur.

Durat amor vitae spatiuum breve perpetuando
Et generat labor humanas atque excolit artes,
Quo novus in cultae naturae imponitur ordo.

65

Valde mirandum tamen est labor improbus' illud –
Nonne tingens' aut tingenuus' melius decuisset?

Nempe locus libri quo dicitur improbus ille
Invenisse artes varias labor, est relegendus:
Aetas deterior, quam nostram credimus esse,
Naturam trahere et rapere et subiungere coepit,
Quam violare nefas quia nos fert atque alit omnes!

70

Angustis rebus tum dura coegit egestas
Oppressos homines primum, dein dira cupido
Accumulandi aurum, naturae imponere vincla.
Scit versum certe quicumque Georgica legit:

75

« *Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem* ».⁷
Praemonet hoc quoque nos humanum quatenus acre
Ingenium reseret secreta recondita terrae
Portendens fatum grave perniciemque futuris...
Iste labor merito nomen capit cimprobus' illud,
Immodicus quia naturae transcendere fines
Tendit et improbior fit tentando nova semper!
Est labor ambiguus: creat, ordinat atque fabrorum

80

85

⁵ *Ecl. X, 69.*

⁶ *Ge I, 146.*

⁷ *Ge I, 135.*

Artibus egregiis hominum convertit ad usum
Munera naturae, victum cultumque fovendo.
Sed simul excedens naturam vicit ut hostem
Praedandi cupidus rerum fundamina tollit.
Haud amor ambiguus: superans obstantia victor
E certamine abit vitamque redintegrat almam!

90

Rura, aurea aetas, regimen vitae

Rura petit qui confertae strepitum fugit urbis
Perversae turbae studia invidiamque perosus,
Ut curis gravidam mentem requiete relaxet. 95
Sed maiora canit, qui rusticus ipse, poeta:
Non rus effugium, non est secessus amoenus,
Solamen mentis non est nec fabula ficta —
Haec licet omnia sint, sed est res splendidior rus:
Aurea portendit Saturni saecla poeta 100
Laudibus extollens curam cultumque perennem
Terrae, nutricis nostrae, et frugum segetumque
Agrestumque piam mentem quae fallere nescit ⁸
Sponte sua rectum pacemque fidemque coletem.
Certe mens afflata poetae numine durae 105
Agrestum vitae sublime illud decus addit
Contemplans ruris formam speciemque perennem:
Rebus in adversis pulcherrimā mente resurgit
Contra quae mala nos terrent vexantque per aeva,
Clangorem belli atque forum,⁹ certamen honorum, 110
Mentem acquirendi cupidam mores vitiantem!
Dignum, quod memoretur, et hoc est Vergilianum:
« *Et curvae rigidum faices conflantur in ensem* » ¹⁰
Quod, quamvis simili diverso, suggerit illud:
« *Tempus erit: vertent homines gladios in aratra!* » ¹¹
Quantum sit desiderium vitae melioris
Apparet passim collectis Vergilianis:

100

105

110

115

⁸ Cf. Ge II, 467.

⁹ Cf. Ge II, 502. ¹⁰ Ge I, 508.

¹¹ Isaia 2,4.

Esse sui, non ipsius ratione remissa,
Et retinere gubernaculum per tempora vitae.

Summum bonum

« *Felix qui potuit rerum cognoscere causas* »¹⁷

155

Versus concludit vatis de se meditantis
Dicta quibus quae sint in votis eligit ipse.
Scilicet hoc primum musas orat sibi monstrant
Stellarum motus varios secretaque terrae.¹⁸
Felix profecto qui quod latuit retegendo
Et connectendo quod quidque effecerat ante
Naturam inspexit rerum, sit non metuentis
Mortem vel fatum praestans sapientis imago —
Hanc sortem sibi non cecidisse poeta fatetur!¹⁹
Ingenium non est satis audax ut sibi fidat
Naturae partes accedere posse remotas.
Inque vicem fortunatum se praedicat esse
Contentumque frui ruris dulcedine grati
Hoc putat satis esse beatam degere vitam.
Hac ratione bonum summum qui ponit in agris
Urbe foroque caret, res publica bellaque terrent.

160

Haec sunt virtuti quae condidit urbem aliena
Cum fasces fugisse et ruri vivere laus sit!

165

Imperfecta manent humana nec est modus ullus
Ambigua et contraria fata reconciliandi.

170

Scilicet extremis aetas versata poetae
Temporibus rerum summa in discrimina venit:

175

Vergilii ingenium subtile incongrua sensit
Omina percipiens obscura pericula fati.
Haec demonstrantur disiunctis versibus illis

180

Quos si componis non concordare videntur:

Praeclarum hoc dictum, quo non humanius ullum —

« *Sunt lacrimae rerum, mentem mortalia tangunt* »²⁰ —

Dictis quae referunt Aenean linquere fines

¹⁷ *Ge II*, 490.

¹⁸ Cf. *Ge II*, 478.

¹⁹ Cf. *Ge II*, 483.

²⁰ *Aeneis I*, 462.

Ardentem Didus non respondere videtur:
« *Mens immota manet, lacrimae volvuntur inanes* »²¹
Lapsus vir quamquam fuit unica causa ruinae
Conscius est quo fata vocent sortisque prioris:
Consilium stat pergendi quo destinat illi
Fatum posthabito miserae Didonis amore.
Quae tandem virtus suprema est Vergiliana?
Adversis obsta semperque adnitere ad alta
Discens quantum in te iustum exercere bonumque!

185

190

SALUTEM VERGILIO

Fata virum docuere viam, virtus tamen haec est:
Accipiens fatum vir regit ipse viam.
Ingenio fruere innato supremaque tange,
Vera aetate tua, vera per aeva manent!

195

VALTHARIUS BERGER

²¹ *Aeneis* IV, 449.